

**Dissertatio medica inauguralis, de vermibus intestinorum : quam, annuente summo numine : ex auctoritate reverendi admodum viri, D. Gulielmi Robertson, S.S.T.P. Academiae Edinburgenae Praefecti : nec non amplissimi senatus academici consensu, et nobilissimae facultatis medicae decreto : pro gradu doctoratus, summisque in medicina honoribus ac privilegiis rite et legitime consequendis / eruditorum examini subjicit Thomas Wallis, Hibernus, Soc. Reg. Med. Edin. Sod.**

### **Contributors**

Wallis, Thomas, active 1784.  
University of Glasgow. Library

### **Publication/Creation**

Edinburgh, 1784.

### **Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/b67xxj54>

### **Provider**

University of Glasgow


### **License and attribution**

This material has been provided by This material has been provided by The University of Glasgow Library. The original may be consulted at The University of Glasgow Library. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

**wellcome  
collection**

Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>




DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

VERMIBUS INTESTINORUM.



.....

DISSERTATIO MEDICA

IN AUCURALIS

D. R.

FERMIBUS INTESTINORUM.

.....



DISSERTATIO MEDICA  
INAUGURALIS,  
DE  
VERMIBUS INTESTINORUM.

QUAM,  
ANNUENTE SUMMO NUMINE,  
Ex Auctoritate Viri ornatissimi,  
D. GULIELMI ROBERTSON, S.S.T.P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ Praefecti;

NEC NON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI consensu,  
Et nobilissimae FACULTATIS MEDICÆ decreto,  
PRO GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS  
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

Eruditorum examini subjicit

THOMAS WALLIS,  
HIBERNUS.

Soc. Reg. Med. Edin. Sod.

*Vivitur ex rapto, non hospes ab hospite tutus.* OVID.

Ad diem 24. Junii, hora locoque solitis.

EDINBURGI:  
Apud BALFOUR et SMELLIE,  
Academiae Typographos.

M, DCC, LXXXIV.



Digitized by the Internet Archive  
in 2016

Propatruo suo dilecto,

J O H A N N I W A L L I S,

De Renny, in comitatu Corkagenfi,

A R M I G E R O,

Viro

Animo probò, honeſto, benevolò,

Ac moribus integerrimis

Inſignito,

Has ſtudiorum in medicina primitias,

Multorum beneficiorum memor,

Mente gratiſſima conſecrat

T H O M A S W A L L I S,

†



Proprius tuo dilige

JOHANNI WALLIS

De Remy, in comitatu Corkensi

ARMIGERO

Mr. Jeffray

with best comp<sup>to</sup> from

his friend & wellwisher

Ac moribus integerrimis

The Author —

Indigne

Has studiorum in medicina primarias

Multorum beneficiorum memor

Mente gratissima connectat

THOMAS WALLIS



DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

VERMIBUS INTESTINORUM.

**V**ERMES intra animalia habitantes, utpote qui plurima contemplationi cum medicorum, tum aliorum philosophorum; praebent, utrosque diu occupaverunt. De origine eorum, de structura et nutritione, multae subtiles quaestiones, multaeque acres disceptationes extant; at res tota, omnes post conatus, admodum obscura etiamnum manet. Opiniones plurimas colligere, nonnullasque refellere, facillimum fo-

†

A

ret,



ret, quarum tamen perpaucas, fere omnibus, quae nihil ad usum conferunt, omissis, tantum memorabo.

Ex malis autem innumeris quae genus humanum obsident, vix ulla sunt acerbiora iis quae a vermibus proveniunt. Quamvis enim corpori saepe parum nocere videantur, idem haud raro lenta et misera tabe conficiunt, aliquando etiam subita ac maxime horrida clade opprimunt. Hos diros hospites igitur quam primum depellere semper oportet; sed cum signa quae eos comitantur plurimis morborum sunt communia, difficile est eos detegere, cumque remediis vulgatis pertinaciter saepissime resistunt, difficilius est eos detectos ejicere.

Vermes in variis cavis corporis humani, praeter intestina, uti in pericardio \*, in pulmone †, in hepate ‡, ejusque ductibus, in renibus ||, in vesica urinaria §, etiamque in cerebro \*\*, inventi,

\* Vide Bagliv. oper. omn. p. 699.

† Vide Diemerbroeck anatom. lib. 2. cap. 13. p. 306.

‡ Vide med. observ. and inq. vol. 1. art. 9. p. 67.

|| Vide Ruysch. observat. anatom. chirurg. No. 64. p. 60.

§ Vide Swieten. comment. vol. 4. p. 718.

\*\* Vide acad. des Scienc. l'an. 1700, hist. p. 15.



ti, dicuntur. Experientia me hic omnino deficit, et quoniam juvenem alienas historias, ni causa sit admodum gravis, in dubium vocare dedecet, exemplis omnibus hujusmodi neglectis, de vermibus in intestinis solis posthac verba faciam. Eorum tria sunt genera praecipua, scilicet, taenia, ascarides, et lumbrici, praeter quae alia quoque fuere reperta \*, sed raro prae his, quae igitur sola considerabo. Omnia de eorum historia naturali repetere non aggrediar; pauca solummodo, quibus ad alia magis ad usum medicum spectantia illustranda opus sit, seligam.

imo, Taenia, ob similitudinem inter eam atque istam taeniam, Anglice *tape* nominata, ita vocatur. *Linnaeus* quatuor diversas species descripsit †, quarum ad unam solam animam advertam, quippe et frequentissimam, et solam mihi observatam. Hanc speciem *Tysonius* quam optime depinxit, eamque lumbricum latum appellavit ‡.

Albida est, plerumque plana, et ex multis juncturis, longitudine ac latitudine inter se diversis, constat. Singulae juncturae sua possident

\* Vide Van Swieten. comment. vol. 4. p. 699.

† Vide amoenitat. academ. vol. 2. p. 74.

‡ Vide philosoph. transf. abr. vol. 3. p. 121.



dent ora, quae nec penitus in eodem latere, nec in alternis lateribus ponuntur. Duo vel plura in eodem latere saepe continua sunt; sed duo ora in eadem junctura nunquam conspiciuntur. Taenia vividae luci subiecta, quaedam vasa, fluidi albi plena, ostendit, quae tamen, ab aliis ad alias juncturas sequi vix possumus, etsi, inter eas, injectiones communicationem monstrant. Ad hoc indagandum Ernestus primus experimenta instituit\*, quae postea, a doctissimis Palmer et Monro repetita, confirmabantur †. Experimenta similia, a juvene optimo Andrea Fyfe adjutus, ipse quoque feci. Mercurius propulsus per alias juncturas facile, per alias non omnino transibat, quod chylo partes vasorum inferenti tribuebamus.

Etiam caput taeniae Tysonius accurate, ut videtur, depinxit. Tentacula, ait ille ‡, ibi inveniuntur, quorum ope vermis firmiter intestinis adhaeret, quibusque solutis, totum corpus facile ejicitur. Hujusmodi caput in taenia quae intestina humana habitaverat, videre mihi nunquam

\* Vide Halleri disput. med. pract. vol. 3. p. 445.

† Vide Palmer dissert. med. inaug. p. 11.

‡ Philos. transf. abr. vol. 3. p. 124.



quam contigit, sed in exiguis taeniis, quas pisces suppeditaverant, partem simillimam detexi.

Longitudo taeniae interdum fuit fere incredibilis, adeo quidem uti totum intestinorum cursum impleverit. Quam Monro cl. discipulis exhibet, ea viginti pedes longa, omnes mihi conspectas superat. Aegrota, cujus historiam posthac narrabo, taeniam quindecim pedes tresque digitos longam dejecit. Olaus Borrichius memoriae prodidit, quendam aegrum, intra annum, pedes octingentos egeffisse \* ; et Boerhaavius testatur, se vidisse taeniam ulnas trecentas longam, ex Russo quodam expulsam †.

Hippocrates hunc vermem solitarium nominabat, quem scilicet credebat semper solum in intestinis habitare ‡ ; sed edoctior aetas opinionem correxit. Tissot enim nos certiores fecit, se vidisse puerum, quatuor circiter annos natum, qui lumbricum et taeniam incipientem dejecit || ; et eruditus De Haen testatur, se vidisse aegram, unde octodecim taeniae, varia longitudine, cum filis integris, dejiciebantur §.

2do,

\* Vide act. med. pathol. vol. 2. obs. 47.

† Vide prælect. acad. tom. 6. p. 180.

‡ Vide Hippoc. oper. om. tom. 2. p. 150. sect. 27.

|| Vide de morbo nigro, scirrhis, &c. p. 31.

§ Vide rat. medend. vol. 3. p. 563.



2do, Ascarides ab *ασκαριζειν* saltare, forsan quia celerrime corpora movent, nomen acceperunt. Vermis est exilis, albus, rotundus, circiter filum crassus, dimidiumque digiti longus. Uterque finis acuminatus est, sed alter acuminatior.

Sunt qui hos tanquam lumbricorum prolem habuerunt, sed inepte, uti multa probant. Namque frequenter videmus eos, qui ascaridibus per multos annos, immo totum vitae, fuerunt vexati, lumbricorum omnino immunes. Hoc ipso tempore, hujusmodi exemplum mihi semet obtulit. Mulier, triginta sex annos nata, per quinquennium ascarides conquesta, multas subinde dejecit, easque semper ejusdem molis observavit. Ex quo eam visere coepi, permagnus numerus quoque emissus, sed nec nunc, neque antea, (quantum recordari possit) ne quidem unus lumbricus dejectus.

Vix opus est adjicere ascarides in intestinis majoribus, nempe in recto, sed lumbricos in minoribus, nidulari.

3tio, Lumbricus est vermis teres, laevis, cute subrubra sed pellucida, et corpore annulis vix conspicuis circumdato. Craffitudinem avenae vel pennae anserinae aequat, et longitudine, quae quidem varia, duodecim digitos raro superat.



superat. A puncto incipit eodemque desinit, quorum alterum exhibet os, tribus labiis instructum, hirudinis haud absimilibus.

Linnaeus credidit hunc, et lumbricum communem, terrae habitatorem, esse eundem\*; sed levissima examinatio huic errori detegendo sufficiet. Namque, imo, Color est admodum diversus, ut et forma. Lumbricus terrestris non ex toto rotundus, sed in ima parte et lateribus planus, ita ut quatuor angulos efficiat, quibus singulis, duo ordines pedum, qui humano lumbrico absunt, adhaerent. Annuli quoque in illo vix, in hoc maxime sunt conspicui.

2do, Partes internae sunt etiam magis in binis speciebus diversae. Diffecanti humanum lumbricum, vas longum, album, in corpore valde convolutum, se primo ostendit. Hoc ad partes generationis pertinet; sed nihil simile in lumbrico terrestri reperitur, cujus vice, corpora rotunda, alba, extremitatem superiorem prope, conspiciuntur.

In lumbrico humano discrimina sexus sunt manifesta, at in terrestri obscura.

3tio,

\* Vid. syst. natur. p. 85.



3tio, In hoc est aliquantum sanguinis rubri, cujus ne quidem guttam, in illo, detegere potui.

Hiscæ alias observationes adjicere facile possem; sed rem supervacuum habeo.

Lumbricus frequentior est, facilius expellitur, et diriores edit effectus (uti postea dicitur) quam alia vermium genera. Vermes, quos nonnulli cucurbitinos nominarunt, ex consulto prætermisi, quia hoc nomen, ut mihi videtur, juncturis singulis taeniae emissis fuit inditum\*.

Huic brevi descriptioni, pauca de causis vermium adjicere oportet. Hac de re, tot extant opiniones, quot auctores. Singulae opiniones multis argumentis, multisque observationibus, firmanantur, quæ omnia rite expendere, opus multi laboris, minimique fructus, foret. Nec mens tam ardens vel fidens est, uti sperem me vel alienas opiniones evertere, vel meliores struere, posse. Quod hic igitur proferam, id fere totum aliunde duxi; et rem aequè ac inveni obscuram relinquam.

Cum

\* Descriptione jam finita, grates quam maxime sinceræ amico meo A. Fyfe, artis anatomicae peritissimo, non agere non possum; me enim, vermes examinantem, magnopere adjuvit.



Cum multa nova, quotidie, putredine gignuntur, complures eam, animalium quoque parentem, habuerunt. Vermes infectaque multa, ejus propria proles, diu credebantur; sed cum primum eorum structura, et praecipue partium generationi inservientium, accurate examinaretur, opinio obsolevit, hodieque pauci sunt inter philosophos, qui eam non rejiciunt.

Hac opinione igitur relicta, nonnulli affirmaverunt, primordia vermium ab initio vitae fluidis esse innata. Quo sententiam stabiliant, exempla proferunt infantium, in quibus, etsi lac maternum unicus fuerat cibus, vermes fuere inventi. Van Swieten haec verba habet: ‘ Celebris medicus de Lille, in propria filiola, undecim hebdomadas nata, integros vermium nidos observavit, licet mater illi praeter ubera nihilum adhuc, neque lac coctum quidem, praebuisset;’ imo addit, ‘ egregium medicum Van Doeveren plures observationes foetuum, vermes in intestinis habentium, dum in utero materno adhuc haerebant, collegisse \*.’ Haec mihi incredibilia videntur, adeo ut omnia hujusmodi, vel incuriae vel cupidini admirationem

† B

ciendi,

\* Vide Swieten. comment. vol. 4. p. 690.



ciendi, theoriamve omnimodis firmandi, tribuere animus incredulus cogat. A compluribus medicis magni nominis, multaeque experientiae, de hac re anxius quaesivi, iique omnes, uno ore, consentiunt, se nunquam vermes in infantibus, quibus lac erat unicus cibus, nec in foetibus immaturis, reperisse.

Certe, inter omnes constat, vermes saepe invadere eos, aetate provectoros, quorum primi anni, hujus mali erant penitus immunes, et unum ex familia vermibus frequenter laborare, dum reliqui omnes iis vacant. Cum tamen plerique infantum eodem more degunt, vix conjicere possum, cur, si primordia vermium omnibus sint innata, haec animalia non omnes invadunt.

Cum ii qui vermibus vexantur, plurimum mucii fere semper excernunt, nonnulli eum pro vermium causa habuerunt. Rectius tamen pro effectu est habendus. Intestina plurimas exiguas glandulas possident, unde liquor glutinosus secretus effunditur, cujus, sanitate integra, tantum est quantum intestinis lubricandis, et teneris eorum nervis contra multa acria defendendis, sufficiat. Vermes autem, intestina stimulando, mucii excretionem augent, cui forsan, corpora eorum plurimum adjiciunt. Cochleae enim



nim et lumbrici terreni, tramitem totum muco oblinunt, hirudinesque aquae immiffae quasi exuvias mucofas ponunt, quae primo corpora circumdant, dein per aquam diffunduntur, et fundum vafis demum petunt. Hinc verifimile videtur, vermes inteflinorum quoque mucum excernere.

Concoctio prava etiam inter caufas vermium fuit enumerata ; et vix negari potefl, quin eorum generationem adjuvet, atque promoveat, etfi ipfa originem eorum explicare nequeat. Namque, dyspepfia faepe diutiffime vexat eos qui nullum vermium fignum oflendunt ; at appetitus eorum, qui vermibus quibusdam vexantur, non modo manet, fed augetur. Concoctio quidem interdum turbatur ; dum tamen appetitus vorax adefl, dyspepfia adefle nequit.

Vermes quafdam regiones terrae prae aliis, infantes prae adultis, ruflicos prae urbanis, tenui cibo vefcentes, aëra humidum haurientes, morbis laborantes, prae contrariis, infeflare creditur ; et magna ex parte certum efll. Hinc forfan colligere licet, teneram aetatem, cibum parum nutrientem, aëra humidum, vitam defidiofam, valetudinem infirmam, ortui vermium magnopere favere ; fed inficiandum non efll,  
eos



eos interdum homines maxime robustos, infirmis ac debilibus tutis, faevissime adoriri.

De insectorum procreatione nuperi philosophi plurima olim incognita retexerunt, et artem callidam matris facunda admiratione celebrarunt. Muscae, locos idoneos ovo fragili conservando, et foetui tenero fovendo, ac nutriendo, quaerentes, fructus maturos vel carnes delicatissimas adeunt, ibique ova deponunt. Aliae, putrescentem coluviem, quae calorem cibumque simul suppeditet, eodem consilio deligunt, vel ova, sub terrae superficie, contra frigus hybernium providae, ipsae cito periturae, defodiunt. Sunt quae aculeo armatae cutem animalium perterebrantes, ovum relinquunt, unde vermis ortus partes vicinas rodit, et inflammatione excitata, pure vescitur, donec, alas nactus, ipse avolet. Aliae denique, nares cervorum, canum, oviumve, intrantes, ova in variis cavis deponunt; et ‘una species equos circumvolitans, dum hoc animal alvum egerit, per anum intrat, antequam ani sphaencter claudatur, lateribusque intestini ova sua affigit\*.’

His

\* Vide Van Swieten. comment. vol. 4. p. 691.



His et hujusmodi phaenomenis intenti, recentiores plurimi in sententiam iverunt, vermes intestinorum ex ovo oriri, cunctaque animalia similem agnoscere originem. Hac de re perpauca verba faciam; ei enim plene examinandae tempus parum sufficit.

Priusquam leges naturae statuere audeamus, ejus phaenomena rite intelligere certe oportet. Plurima animalia, antiquitus putredinis prolem credita, ex ovis oriri, et verum est et a plerisque conceditur; sed quaedam nuperae observationes de *Polypo* efficiunt, uti inde legem naturae generalem caute colligendam esse judicemus. Praeterea, licet admittatur, vermes ex ovis oriri, parum proficietur, donec origo ac natura ovorum detegantur. Namque, imo, Vermes in intestinis vulgo inventi, si excipias ascarides \*, alibi raro inveniuntur. Taenia, extra animalia degens, bis solummodo conspecta †; lumbricus, (qualis in homine conspicitur) nunquam.

Forfan tamen hoc incuriae observantium magis quam inopiae vermium ipsorum tribui debet;

\* Habitant in paludibus et locis lutosis, vulgatissime tempore aestivo. Vide amoenitat. acad. vol. 2. p. 72.

† Ibid. p. 93.



bet; licet enim his, in paludibus vel puteis profundis, ab oculo philosophi procul latitare, dum ova tam exigua, uti aciem effugiant, per aquam fluitant.

2do, Natura ovorum, si modo extent, admodum videtur mirifica. In paludibus enim frigidis, imo, prae corpore humano, frigidissimis, vigent, eademque calorem humanum non modo sine incommodo tolerant, sed eo jucundissime fruuntur.

Dein, cum animalia ingrediuntur, plurimis periculis objiciuntur. Cur non eorum dentibus franguntur, succo gastrico solvuntur, motuque peristaltico, antequam semet affigere valeant, una cum faecibus ejiciuntur? Haec omnia forsan frequenter occurrunt; sed copia (nam foecunditas insectorum incredibilis) \* adhuc restat. Adde quoque oportet, plurima animalia, uti canem, felem, piscesque innumeros, quibus genus humanum vesci solet, vermes, et forsan ova quoque, continere. Nonnullis autem placuit (et experimentis opinio nititur †) ova vi ignis culinarii resistere posse; unde collegerunt, licere

ovis

\* Vide Swieten. comment. vol. 4. p. 691.

† Ibid. vol. 4. p. 708. et vide Sparman's diseases, p. 227.



ovis vermium cum carne animalium, etiam arte coquina praeparata, intrare. Hoc tamen vix explicabit originem vermium, in iis qui nec pisce nec carne vescuntur.

Omnibus perpensis, vermes ovis, quae una cum cibo animalia ingrediuntur, originem debere, mihi videtur verifimillimum; sed quos cibos comitentur, quomodo ibi gignantur, et conferventur, dicere, hic labor, hoc opus. Experimentis novis, pluribusque observationibus est opus, quibus forsan ducta, sagacior aetas, multa, hodie parum intellecta, explicare poterit. Investigationes hujusmodi non longius profectus, iis quibus plus otii, opportunitatis, et ingenii suppeditatur, relinquam; minime quia rem contemnendam judico, sed quia ‘ hujus loci non est haec omnia singulatim expendere, cum medico sufficiat novisse signa, quae docent, infestos illos hospites in corpore humano nidulari, praevidere mala, quae inde sequi possint, et scire methodum ac remedia per quae de corpore expelluntur \*.’

H I S.

\* Vide Van. Swieten. comment. vol. 4. p. 695.



## HISTORIA MORBI.

In hac parte operis, licet mihi plerisque scriptores imitari, affirmando me rem maxime difficilem esse aggressurum. Nullius certe morbi historia plena, accurata, facilis est; sed vermes propriis difficultatibus stipantur. Non modo enim utrumque sexum, omnes aetates, omnemque corporis habitum invadunt, sed plurimos morbos ciere, et fere omnes comitari possunt. Hinc difficillimum fit dictu saepissime, quorum malorum vermes sunt causa, quorum comes solummodo. Itaque quicumque auctores adibit, omnia signa fere omnium malorum vermibus tributa inveniet †. Ex tanta caterva symptomatum, ea quae frequentissime occurrunt, in iis aliter fat sanis, seligere oportet. Hoc ipsum tamen minime facile; quod vermes plerumque diu lateant antequam adstantes eos adesse suspicentur, nec medicus arcessitur, donec signa acerbiora supervenerint. Hinc initium morbi  
plerum-

† Vid. Bosch histor. verminosa passim.



plerumque negligitur, plurimaeque historiae a signis mali provecti incipiunt.

Signa frequentissima autem sola notabo, et ordinem lectis ac observatis maxime consentaneum, quantum potero, sequar.

Ventriculus tumet, dolet, acidisque eruclationibus infestatur. Appetitus admodum variat, nunc enim omnino prostermitur, nunc mire crescit. Sitis plerumque intenditur, sed interdum saliva copiosius solito fluit; lingua foedatur; ac spiritus teterrime olet.

Abdomen tumidum fit, durum, atque tensum, ejusque varias partes, praecipue vero circa umbilicum, dolores acerbi torquent. Imum rectum tumens, pruritu et ardore, interdum eoque afficitur, ut aeger, ob desiderium ejus scabendi perpetuum, quiescere nequeat. Alvus nunc adstricta, saepius soluta est, et, cum crebris borborygmis, plurimum mucii, non sine sanguine, excernitur. Urina nunc alba, nunc limpida, observatur, fluitque interdum difficilis.

Licet vermes intestina sola habitent, eorum effectus ad omnes fere corporis partes pertinent. Vultus atque oculi magnam subeunt mutationem. Visus saepe minuitur cum quadam pupillae dilatatione, et inferioris palpebrae tumore,



re. Nafus praeter folitum albefcit, adeoque prurit, uti digitus eum ad epiftaxin ufque fcalpere cogatur. Alae narium, labiumque fuperius, interdum tument, faepe non. Nitor vultum deferit, et in ejus vicem flavedo turpis, vel pallor ingratus, omnium cachexiarum comes, fuccedit. Oculi, parum splendentes, deprimuntur, foedoque circulo circumdantur.

Refpiratio nonnunquam turbatur; tuffis molefta, ficca, faepe vexat; dolor lateris angit. Capitis dolor faevus, vertigo, et aurium tinnitus adfunt. Cor ipfum aliquando palpitat, nec fingultus rarus. Pulsus variat pro reliquis fignis, et frequenter intermittit.

Hifce fimilibusve malis mifer interdium fatigatus, opem fomni fruflra petit; noctu enim adhuc vexatur, et plurima molefliae indicia edit. Canem lupumve inteflina lacerare interdum fomniat, huc atque illuc fe vertit, dentibus frendet, fubitoque exilit. Malis hujufmodi vigilantem ac dormientem laceffentibus, corpus macrefcit, adeoque evadit debile ac irritabile, uti plurimis morbis fiat opportunum. Hos omnes numerare nec poffum nec conabor, fed nonnullorum mentionem faciam.

Febres



Febres lentae, periculosae, exacerbationibus vespertinis ac nocturnis infestatae, aliquando cum delirio, sunt vermium frequentissimae comites. Harum tanta est varietas, ut nihil specialius indigitare queam.

Morbi spasmodici quoque eos haud raro comitantur, et praecipue epilepsia\*, quae infantibus est maxime infesta, quamvis proveciores interdum invadit. Lingua vel alia quaedam pars immobilis, chorea †, catalepsia ‡, et tetanus §, ipse, omnium spasmodorum maxime gravis et periculofus, inter effectus vermium, ab auctoribus optimis observata fuerunt atque notata.

Cum corpus adeo debilitant, eos aliquando syncopen inferre, cumque dolores admodum graves in abdomine movent, eos interdum abortum efficere, minime videbitur mirum. Nonnulli etiam amenorrhoeam iis tribuendam judicarunt, jure an perperam statuere vix possum. Ano saepe, ore interdum ejiciuntur, quod si non evenerit, mala indies acerbiora miserum aegrotum demum perimunt.

## D I A G-

\* Vide Van Swieten. comment. vol. 3. p. 417.

† Vide Ephém. Germ. ann. 5. dec 7. append.

‡ Vide Swieten. Comment. vol. 4. p. 316.

§ Vide Barrere obsl. anatom. p. 167. et Swieten. Comment. vol. 4. p. 714.



## D I A G N O S I S

Duplex est: Vermes enim a caeteris malis quae similia edunt signa, et alios ab aliis vermibus, distinguere oportet. E signis autem numerosis quae vermes indicare solent, ferè nullum, si excipias vermium ipsorum egestionem, adeo est proprium, ut ad eos detegendos sufficiat; sed, si post aliquot egestos, eadem signa persistant, quae vermes vulgo comitari observantur, haud absurdum erit eos pro causa mali habere.

Dr Home de hac re agens, ita loquitur: ‘ A  
 ‘ certain diagnostic symptom of worms has hi-  
 ‘ therto been a desideratum in practical medi-  
 ‘ cine. Such a one I discovered, about 16 years  
 ‘ ago, which was not mentioned by any other  
 ‘ author; that is, an oedematous swelling of the  
 ‘ alae narium, upper lip, and often of the conti-  
 ‘ guous parts of the cheeks. The apertures of  
 ‘ the nostrils are much diminished, and at least  
 ‘ are not half their natural size. This diagno-  
 ‘ stic is certain, as I have trusted chiefly to it  
 ‘ since that time, and it has faithfully served  
 ‘ me.’



‘ me \*.’ Me quidem piget, verbis nostri Professoris eximii, cujus cura fidesque infigens sunt omnibus notae, non posse assentiri; sed mihi, re iterum iterumque, qua cura maxima potui, examinata, persuadetur, hoc signum vix mereri locum in quem fuit evectum. In scrophula enim sine vermibus saepe fuit repertum, et iis quibus vermes insunt, haud raro abest. Ipse vidi vultus complurium qui haud dubie vermibus vexabantur, plurimos enim dejecerunt, tumoris cujusque omnino immunes. Propriae observationi diffusus, non modo matres, sed socios complures, consului, quorum nemo tumorem detegere potuit. Haud abnego tamen quin complures aegros, ita uti doctissimus *Home* describit, affectos, observaverim; inter diagnostica, igitur, hoc signum valeat quantum valere possit.

Difficilius est dignoscere hydrocephalum internum incipientem a vermibus, quam fere ullum morbum; nec hoc mirabitur qui reputabit, quot signa sint utrique communia. In utroque enim stridor dentium, nasi vellicatio, subsultus ex somno, capitis et abdominis dolor, oculorum hebetudo, atque pupillarum dilatatio, reperiuntur.

\* Vide Clin. Exper. p. 421.



tur. Tanta similitudo non modo imperitos atque incautos, sed in his rebus maxime exercitatos, frequenter fallit; discrimina quaedam sunt igitur sedulo quaerenda.

In hydrocephalo, dolor capitis acerbior est, unigue parti, nempe occipiti vel fronti mox supra oculos, praecipue haeret; at in vermibus, per totum caput diffunditur. In illo, alvus plerumque admodum adstricta est, et faeces tetrores solito, interdum virides, conspiciuntur\*; in his alvus sponte solvitur, et dejectiones mucosae, albidas, exhibet. In illo, dilatatio pupillae, quam in his fit frequentior; in eo praeterea, visus duplex, palpebraeque paralyticae, frequenter, in his nunquam, observantur. Hydrocephalo paulum provento, signa dira quae cranium fractum atque depressum vulgo comitantur, advenientia, diagnosin certam praebent.

Proximum est ut alii ab aliis vermibus dignoscantur. Sensus quidam ponderis vel motus insoliti, in variis abdominis partibus, non sine dolore, taeniam insignit: Corpuscula albida, feminibus cucumis similia, ano subinde dejecta, diagnosin adjuvant; eamque vultus pallidus, macies

\* Vide Fothergil's works, p. 345.



cies suprema, cum appetitu vorace, certiore reddunt.

Cum ascarides imum rectum praecipue occupant, ab ejus affectibus diagnosi est praesertim petenda. Sensus est ardoris circa anum, qui tumet, cujusque prurigo fit prorsus intoleranda. Tenesmus quoque frequentior est ascaridum quam aliorum vermium comes; nec ulli quieti ac somno magis inimici sunt. Nonnunquam in vulvam irreperunt, eamque titillantes, infignes ediderunt effectus.

Lumbrici graviora tormina, ac faeviores dolores, praecipue circa umbilicum, quam vel taenia vel ascarides movere solent, credoque, eos esse convulsionum antea memoratarum fontem frequentissimum.

#### RATIO SYMPTOMATUM.

Ratio omnium signorum reddi vix potest; sed quorundam est abunde manifesta. Omnia quae monstrant ventriculum vel intestina turbari, actioni vermium, concoctionem impredientium, sunt tribuenda. Interdum adeo sunt numerosi  
vel



vel magni, ut conglomerati descensum faecum diu impediunt, inde tumor et durities abdominis, ut et borborygmi, forsan oriri possunt. Excrementum hospitem foedissimum colluviem tetram in intestinis morbidis inventam auget, et gignit tormina, diarrhoeam, odorem ingratum, cum spiritus, tum dejectionum.

Cum nonnulli vermes plurimum cibi, corpori reficiendo destinati, absumunt, corpus quotidie macrescit, etiam si appetitus plurimum augeatur. Namque natura benigna ita instituit, uti appetitus consumptioni cibi respondeat; unde, uti saepius notatum fuit, appetitus vorax, maciem, quam taenia affert, fere semper comitatur.

Prurigo imi recti, motibus ascaridum, quae admodum mobiles sunt, etiamque conatibus quibus se intestino affigunt, debetur. Lumbrici autem non modo se movent, sed intestina quodammodo rodunt. Tunica villosa hosce impetus frequentissime sentit; reliquae tamen interdum mali fiunt participes, adeo ut vermes, substantiam penetrantes, per ulcera vicina, una cum pure, erepant. Douglas narrat, complures lumbricos ex ulcere in mulieris inguine quondam exisse\*. Alio in exemplo, magnus lumbricus ex  
ulcere

\* Medical Essays, vol. 1. p. 222.



ulcere gangraenoso abdominis exiit \*. In ventriculum ipsum nonnunquam ascendunt, eique ita nocent, ut cardia post mortem sanguinolenta et erosa fuerit inventa †. Rebus ita se habentibus, dolores atrocissimi, spasmi maxime horreni, uti catalepsia, epilepsia, ac tetanus, faevire solent. Haec et alia hujusmodi quotquot sunt, consensui sunt tribuenda, nec me pudebit hoc vocabulo uti, donec melius inventum fuerit, quamvis plurimae difficultates, quodad modum, quo pars remota affecta alias afficiat, extent. Res ipsa minime ambigitur; et omnibus notum est, quantum totum corpus cum ventriculo ac intestinis consentiat. Acidum ventriculos infantum infestans haud raro epilepsiam movet; quid mirum igitur si vermes, qui tunicas ventriculi rodunt, eosdem vel peiores edunt effectus? De hac re audi Whytt sagacissimum ita differentem: ‘ A disordered state of the stomach  
‘ and intestines with wind or noxious humours  
‘ lodging in them, will sometimes so affect the  
‘ brain as to deprive people of their reason. At  
‘ other times the same causes will produce a ver-  
† D tigo,

\* Med. Comment. vol. 2. p. 80.

† Vide Van Swieten. comment. vol. 4. p. 714.



‘ tigo, cephalaea, hemicrania, clavus hystericus, ‘ palpitations, intermissions of the pulse, difficul- ‘ ty of breathing, sudden flushings of heat and ‘ sweating †, &c.’ Nec partes remotae cum ventriculo aut intestinis solis consentiunt. Tetanus digitum sectum, crufve laceratum; et cephalaea, calceamenta nimis arcta interdum sequuntur. Hisce alia exempla magis miranda, si opus esset, addere facile possem.

### PROGNOSIS.

Ex supra dictis facile colligi potest, omnium vermium taenia est maxime pertinax, faepissimeque conatus medici ludit. Magna enim parte ejecta, cum creditur hospitem inimicum brevi expulsum iri, hydrae similis, cito repullulat, molemque pristinam superat.

Lumbrici periculosiores sunt, utpote qui intestina vel ventriculum stimulando, convulsiones et spasmos cient: facilius tamen remediis cedunt.

Ascarides,

† Vide Whytt's works, p. 497.



Ascarides molestae magis quam periculosae sunt ; sed diutissime interdum vexant, plurimisque medicamentis obfistunt.

Vermes sunt primis quam provectis annis magis infesti ; aetas enim tenera irritabilior est ac facilius in convulsiones, unde praecipuum periculum, incidit. Quamvis tamen convulsiones abfuerint, si aeger, cujuscunque fuerit aetatis, valde debilitetur, macrescat, pallefcatur, si febre, praecipue si hectica corripatur, si diarrhoea pertinace, lienteria, vel ulceribus intestinorum, laboret ; sique haec aut similia mala, multis remediis incassum adhibitis, diu perstiterint, prognosin dubiam, forsan infaustam, proferre oportebit.

### M E T H O D U S M E D E N D I.

1mo, Praecipuum ac fere unicum consilium hic est, ejicere vermes ; cui nihilominus alterum addam, nempe,

2do, Effectibus, post vermium expulsionem interdum manentibus, ire obviam.

Quae



Quæ priori confilio respondent ea remedia, anthelmintica vulgo nominantur, cunctaque ordinis ergo, in duas classes dividam: Scilicet in ea quæ, vi mechanica, et in ea quæ, vi chemica, vermes arcere creduntur. Prior classis complectitur acria cathartica omnigena, uti scammonium, jalappam, elaterium, gambogiam, aloen, &c. Eodem pertinent pulvis stanni, limatura Martis, pulvis coralli, arena communis, dolichos pruriens, et forsan oleum.

Ad alteram classem pertinent aqua calcis; acida; spiritus distillati; sal communis; quædam præparationes mercurii, martis, et cupri; radix spigeliae Marylandicae; radix filicis; amara multa, uti semen fantonicum, flores lupuli, folia abrotani ac absinthii, radix anthoræ, folia et semina tanaceti; et denique, cortex Geoffraeae Jamaicensis.

Divisiones hujusmodi raro sunt ex toto accuratae, et optime novi, plurima huic jam prolatae objici posse. Cathartica nonnulla, ex. gr. vermibus sunt venenosa, ideoque inter chemica remedia poni debent, oleique ea est natura, uti locus ejus aptissimus sit omnino incertus. De divisione tamen in dissertatione hujusmodi disputare, vix operæ est pretium, præsertim cum  
nulla



nulla theoria inde pendet, nec ullum argumentum inde ducitur. Itaque mihi liceat remedia supra memorata ordine simplicissimo considerare, idque brevissime agam; nam singula plene expendere in animo non est.

*Acrida Cathartica* nominatim examinare vix necessarium habeo; hoc enim omnibus commune est, nempe, augere motum intestinorum peristalticum, eoque modo hospites diros, vi et armis, de latebris depellere. Gambogiam vero vim venenosam possidere, nonnulli credunt\*. Multum<sup>u</sup> commodi ex usu istorum medicamentorum plerumque sperare licet; sed non semper tuto praecipiuntur, nec unquam licet quotidie repetere doses, usquedum vermes penitus expulsi fuerint. Febre durante, periculosa evadunt cum infantibus tum adultis quos faevi hospites debilitaverunt, ususque repetitus non modo periculosus, sed prorsus lethalis foret. Cum igitur unus impetus cathartici cujuslibet, contra hostem hujusmodi minime sufficiat, cumque repetitio plus damni quam commodi afferat, alia remedia, aequae efficacia et tutiora, optabilia fiunt.

*Pulvis*

\* Vide Duncan's medical cases, p. 334.



*Pulvis Stanni* magnis nec immeritis laudibus diu fuit euectus, ejusque vim a quantitate arsenici pendere, *Lewis* \* credebat. Si res ita fit, cur quaeso homines ipsos nunquam perdit, licet exigua quantitas huic sufficiat? Itaque *Doctori Black*, quo nemo philosophiam chemicam magis sapit, placet, pulverem stanni acidis parum affici, et colligit, ejus actionem in vermes esse solummodo mechanicam, nempe irritare intestina, eorum motus augere, et corpora vermium ipsorum terere ac laedere. Stannum transitu per intestina, minime mutatum, hanc sententiam stabilit. Compluribus medicis igitur hoc praestantissimum esse anthelminticum affirmantibus, quodammodo assentior, etsi confitendum sit, id non semper efficax fuisse repertum. Hoc *Alston*, qui id tantopere celebrat, uti neget materiam medicam remedium praestantius praebere, quantitati nimis exiguae tribuit; nam ipsi, qui a  $\text{ʒ}\beta$  ad  $\text{ʒij}$  praecipere solebat, vota raro fefellit †.

In *Commentariis Medicis* ‡ traditur, taeniam 38 ulnas longam ejus opera esse ejectam, pluraque

\* Vide *mat. med.* p. 552.

† Vide *Alston's mat. med.* vol. 1. p. 150.

‡ Vol. 6. p. 251.



que exempla novi, in quibus faustissime contra lumbricos adhibebatur. Cum per se alvum raro solvit, lene catharticum subinde, ex. gr. tertio quoque die, simul praecipere oportet.

*Limatura Martis*, et *Pulvis Coralli*, quorum singulorum actio mechanica esse creditur, non tam in usu sunt quam pulvis stanni. Nonnullis aegris, arena ipsa fuit utilis, certiorque factus, puerum vermibus vexatum, sponte sua parentibus ignaris, hanc avidissime vorare solitum.

*Dolichos pruriens* in regionibus calidioribus innascitur, et in India Occidentali ac America magnopere aestimatur; sed hic parum adhuc notus. Capilli, externam partem filiquae continentis semen, tegentes, foli sunt in usu, et tales sunt quales, cuti applicati, pruritus vix tolerandum vel inflammationem ipsam cient. Hinc forsan metuendum videbitur, eos in ventriculum et intestina haud sine periculo ingredi posse; sed experientia metum fugat\*. Constat enim eos vermibus lethales, intestinis minime esse nocivos. Duo, sex, vel octo grana pro aetate aegroti, forma boli vel electuarii, paulisper adhibita, plurimis

\* Vide Bancroft's natural history of Guiana, p. 392.



mis vermibus depellendis, ac sanitati reducendae, saepissime suffecerunt. Actionem esse mechanicam hinc colligo, quod decoctum vel tinctura parum valeant\*.

De vi hujus remedii fere nihil ex propria experientia statuere possum, quippe qui pauca grana, puellae aegrotanti adhibenda, aegerrime inveni. Tres erat annos nata. Capitis dolor faevissimus, abdominis tumor, alvus soluta, dejectiones mucofae, aderant. Inter dormiendum aegra saepius exiliebat, dentibusque frendeat. Labium superius quodammodo tumeat. Simulac eam visebam, bolum sequentem praecepi.

℞ Dolich. gr. iii.

Conserv. rosar. q. f. fiat bolus.

Hic ter repetitus nec alvum magis solito solvebat, nec vermes educebat; omnia tamen signa levata cito cessarunt, puellamque post mensem omnino sanam conspexi. Doleo multum quod plus dolichi, uti experimenta majori cura instituissem, comparare nequiverim.

*Oleum*, quod nonnulli pro eximio anthelmintico celebrarunt, huc quoque redegi. Ei speciei vermium (raro in intestinis inventorum) quibus

\* Vide Bancroft's natural history of Guiana, p. 393.



quibus spiracula sunt, haud dubie fit lethiferum, aliis tamen parum, vel non omnino. Oleosa enemata quidem plurimas ascarides interdum educunt, vel superficiem internam intestini adeo lubricam, vel ejus motum adeo celerem, reddendo, uti vermiculi haerere nequeant. Semper vivae hoc modo ejiciuntur.

*Aqua Calcis* deglutita vel injecta contra vermes, in recto vel ventriculo nidulantes, valere forsan poterit; adeo tamen mutabitur vel absorbebitur, ut vermes intestina tenuiora habitantes parum sit affecturum.

Quin *acida* fortia vermes deperderent, nemo est qui dubitat; sed ut ventriculus ac intestina tuto recipiant, tanta dilutione est opus, quanta vim anthelminticam, magna ex parte, frangat.

*Spiritus distillati* vermibus inimici fuere crediti, quia vermes eorum potores raro invadunt. Sed, quamvis hoc concedatur, certe remedium nemini tutum, infantibus fere exitiale foret. Fertur Belgas solitos esse dare infantibus, pro anthelmintico, istum liquorem Anglice *Gin* nominatum, sed quo cum effectu, ignoro.

*Sal communis* hirudinibus, aliisque id genus, admodum nocivus invenitur; unde justum videtur colligere eum vermibus quoque esse nocitu-



rum. Exigua tamen quantitas prorsus inefficax est, et magna copia, ut taceam alias ventriculi ac intestinorum injurias, alvum valde motura, aequae ac alia cathartica antea memorata est inepta. Magnae doses falsis quendam aegrotum, uti legimus \*, vermibus liberabant; sed operatio adeo erat terrificata, ut plerique praxin imitari sint recusaturi.

*Mercurii* complures praeparationes fuere laudatae, quarum omnium praestantissima est forsitan calomelas. Per se interdum praecipitur, drastice cathartice saepius adjungitur. Efficax saepe fit, et saepius fieret, me judice, ni vermes, plurimo mucos obducti, contra ejus actionem defenderentur. Nonne paucae doses pulveris stanni ante usum mercurii commode dari poterunt?

*Ferri* quaedam praeparatio, viz. vitriolum viride, contra vermes vim magnam possidere, olim credebatur. Boerhaavius id eximiis profequitur laudibus, historiamque tradit taeniae, trecentas ulnas longae, ope ejus, melli admisti, expulsae †. Sed, quoniam remedia certiora et  
validiora

\* Vide med. transf. vol. 1. p. 54.

† Vide praelect. acad. tom. 6. p. 180.



validiora adfunt, id vix adhibendum judico; faeces enim inde nigricantes aegrum vel amicos facile terrent.

*Cuprum* vermibus exitio fore bene constat; sed non minus certum, quantitatem exiguam ejusdem esse hominibus ipsis lethalem; quamobrem praecipendum non est.

*Spigelia Marylandica*, Anglice *Indian pink*, radix est plantae quae in Carolina Australi invenitur, quaque plerique Americae incolae contra vermes utuntur. Lining \* ac Garden † exempla ejus prosperi usus ediderunt, Homiusque eandem aliquoties fructuose praecepit ‡. Amicus meus Dr Kiffam, qui Novi Eboraci diu degebat, me certiore fecit se ea frequenter et faustissime uti fuisse solitum, praesertim in fratre suo, cui plus trecentis lumbricis fuit ejectum ||.

*Radix filicis* a Theophrasto, Galeno, aliisque, propter vim anthelminticam, olim celebrata; tantam famam nuper in Gallia adipiscebatur, ut proprium contra taeniam remedium haberetur.

Namque

\* Vide phys. essays, vol. 1. p. 436-

† Ibid. vol. 3. p. 145.

‡ Vide clin. exper. p. 420.

|| Hic puer est quem antea plurimum arenae voravisse memoravi. Vide p. 31.



Namque per eam *Madam Nouffier* tot expulit, uti *Rex*, amore populi impulsus, arcanum emptum vulgaret. Rege mandante, quidam ex medicis sagacissimis effectum ejus examinarunt, hi que modum optimum praecipendi, una cum pluribus historiis aegrorum ejus vim expertorum, in publicum ediderunt. Dr *Simmons* hoc opus Anglice reddidit, eique adjecit, plura exempla usus ejus in Britannia prosperrimi\*. Dr *Duncan* quoque, uno in exemplo, expertus, priora experimenta confirmat †. Sed plerique consueverunt adhibere catharticum drasticum paucas horas post radicem filicis, unde creditum fuit, vermem cathartici magis, quam radicis actioni, cessisse. Decevi igitur radicem per se praecipere, eventumque expectare. Unica aegra tantum semet mihi obtulit, cujus historiam hic plene tradam.

Jul. 22. 1783. J. C. aet. 26. innupta, acerbis capitis dolore, vertigine, et tinnitu aurium, saepe vexatur; quibus interdum molestus faciei totius pruritus adjicitur. Alterutrum latus haud raro dolet; praecordia valde opprimuntur; ven-

\* Vide *Simmons's* account of the taenia, et appendix.

† Vide *med. cases*, p. 326.



ventriculus faepe tumidus, nausea afficitur, et abdomen durum tumet. Dentibus frendere, in lectoque dormiens exilire, aegra nonnunquam observatur. Macie ac debilitate admodum conficitur, etsi appetitus sit vorax. Alvus plerumque soluta, dejectiones mucosae. Menses regulares, quos tamen saevissimi dolores parumper praecedunt, ac sequuntur. Fluor albus proximum per triennium adfuit. Fluxus urinae, quae rubrior videtur solito, difficilis est nonnunquam.

Ante quatuor circiter annos, febre corripiebatur, qua decedente, plures vermium tenuium, alborum, et planorum, una cum faecibus exire observabantur. Abhinc pauci dies sunt elapsi, quibus vermes aliquot non exierunt; et interdum triginta eodem die ejecti, quorum, ut ipsa ait, tres pluresve cohaeserunt, et signa vitae per horam post exitum ostenderunt. Anno ante, quaedam medicamenta a domino Kinnaird, pharmacopola Edinensi, praescripta, quorum ope, pars taeniae octodecim digitos longa erat expulsa. Huic aegrae quae sequuntur praecepi.

℞ Pulv. rad. filicis maris, ʒss

Conserv. rosar. q. f. f. bolus, cras mane sumendus.



23. Nausea bolum assumptum subsequēbatur; sed nihil aliud adhuc fuit observatum.

Rep. bolus cras mane.

24. Post bolum, aegrotā, summa nausea laceffita; plurimum fluidi aquosi evomuit, et post horam, portionem taeniae, quindecim pedes tresque digitos longam, dejecit. Diutius hora vixit, et viva, longior videbatur. Altera finis habuit juncturas breviores, ac minores reliquis, nil tamen conspici potuit, simile filo ab auctoribus depicto, unde timui ne qua pars adhuc haereret. Abdomen multo minus tumidum ac durum jam factum fuit.

Rep. bolus cras mane.

25. Nulla nausea post bolum. Duae juncturae ejusdem vermis expulsaе.

Rep. bolus ut antea.

27. Nil vermis amplius dejectum. Aegra inquit se melius jam nunc valere, quam per longum tempus valuit. Appetitus multum minuitur.

Omit. rad. filicis per triduum, dein augeatur ad ʒi ut antea.



Aug. 2. Bolus hodie sumptus gravem nauseam ciebat. Aegra queritur saevum abdominis dolorem, et plurimum venti deorsum emitti affirmat.

Cont. bolus ut heri.

3. Somnus turbatus torminibus. Complures dejectiones admodum mucosae heri hodieque.

℞ Pulv. rad. jalap. gr. xii.

Calomel. gr. v.

Conserv. rosar. q. f. f. bolus, c. m. fumendus.

Omit. filix.

5. Catharticum alvum efficaciter movebat, et multum mucī sine vermibus eduxit. Nil nisi debilitatem aegra jam conqueritur.

6. Catamenia fluunt.

Omit. omnia.

12. Alterum catharticum optat atque efflagitat.

℞ Pulv. rad. jalap. ℥i.

Calomel. gr. vi. f. bolus u. a. fumendus.

14. Catharsis erat acris: Multumque mucī et magna insuper colluvies, quam aegrotā ipsa vermibus resectis comparabat, dejiciebatur. Tonica medicamenta, cibum nutrientem, vinum, et *porter*, huic dehinc praecepi.

Oct.



Oct. 1. Capitis dolor ac vertigo iterum invadere aegrotam. Abdomen iterum cruciatur et tumet. Medium circiter mensem, quaedam frustra taeniae disjuncta deicere coepit. Die 22. eam visi, eique praecepi ʒss. radicis filicis, ut antea, fumendam.

23. Medicamentum nullam nauseam ciebat. Duodecim frustra disjuncta taeniae fuere dejecta.

Rep. bolus.

24. Aegra post bolum nausea paululum afficiebatur, et plura frustra dejecit.

Aug. pulv. rad. filic. ad ʒi. ut antea.

26. Post bolum heri assumptum, aegram gravem nauseam conquerebatur, nec non sensum in abdomine, cum magno murmure, insolitum. Hodie mane portionem taeniae duodecim pedes novem digitos longam, cum ingenti copia venti, emisit.

Bolus posthac per triduum sumptus levem nauseam solam edidit. Dein omittebatur, aegraque bene valebat usque ad medium Januarium, quo tempore, prioribus malis eam iterum aggressis,



gressis, plures particulae taeniae fuere dejectae;  
bolum sequentem praecepi.

℞ Pulv. rad. jalap. ꝑi.

Calomel. gr. vi.

Conserv. rosar. q. f.

Hic complures effecit dejectiones, cum una  
quarum taenia descendebat, eamque in ano hae-  
rentem, aegra detrahere conata, disrupit. Hoc  
facto, reliqua pars in intestina recessit. Mox  
posthac, acerbo dolore ac ventriculi tumore,  
cum dyspnoea et dysuria, mulier afficiebatur.  
Fomentum calidum abdomini adhibitum, et co-  
pia ejus liquoris, Anglice *Gin Punch* nominati,  
ei magno fuere auxilio, ita ut postridie urinam  
sat libere emitteret.

Dein pulverem stanni asperum praecepi, quem  
ad ꝑiiss intra tres dies sumpsit. Multae parti-  
culae taeniae disjunctae per hoc tempus deicie-  
bantur; sed stannum adeo ventriculum opprime-  
bat, ut id omittere cogerer. Biduo post bolum  
radicis filicis ut antea praecepi, isque levem ca-  
tharsin movebat, ac portionem taeniae octo pe-  
des aliquot digitos longam, praeter plures parti-  
culas disjunctas, educebat. Bolus bis repeti-  
tus nihil amplius edidit.

†

F

Santo



*Santonicum*, &c. Plurima amara, ob vim contra vermes quem possidere credebantur, diu fuere laudata. Hanc vim forsitan interdum monstrarunt, saepius tamen non, quapropter nomen anthelminticorum vix merentur. Mallem istiusmodi remediis uti pro tonicis post vermes expulsos, et ad novorum ortum praecavendum.

*Cortex Geoffraeae Jamaicensis inermis*, *Anglice Cabbage-tree bark*, in India Occidentali, ob vim contra vermes, diu fuit celebratus; at Duguid, quidam chirurgus sagax, primam ejus historiam, quantum novi, cum harum regionum medicis communicavit\*. Fere omnes qui ejus mentionem fecerunt, virtutes summis laudibus extulerunt; et nihilominus plurimi medicorum eum nimis neglexerunt. Rush affirmat, se esse usum triginta, pluribusque libris, et semper fructuose †. Dr Hamilton, artis obstetriciae Prof. cl. me fecit certiore, se quoque eo uti saepe solere, non modo sine noxa, sed summo cum commodo. Hisce rebus adductus, ejus vim, quam accuratissime possem, explorare mecum decrevi, paucorumque experimentorum historias, gloriolam vanam

\* *Phys. essays*, vol. 2. art. 15. p. 290.

† *Vide medical comment.* vol. 1. p. 329.



vanam parum, quod verum ac utile, omni studio, ambiens, hic subjiciam.

Forma decocti, fyrupi, pulveris, et extracti fuit adhibitus; sed decocto sic praeparato semper fui usus.

℞ Cort. Geof. Jamaic. concis. ℥i.

Aquae lib. ii. coque leni igne ad lib. i. deinceps. Dosis erat ab ℥ss ad ℥iv, Indies, pro aetate aegroti.

July 20. 1783. W. F. menses 22 natus, aliquandiu nausea, et interdum vomitu fuit vexatus. Abdomen, quod tumidum ac durum est, multum dolet. Infans saepe frendet, et inter dormiendum repente exilit. Nasum saepissime vellicat; cujus tamen, aut reliqui vultus, nullus conspicitur tumor. Alvus admodum fluit, et dejectiones sunt maxime mucosae. Febris vespere accedens, per noctem durat. Paucis ante diebus, quam eum viderim, catharticum sumpsit, quo plures lumbrici vivi dejiciebantur.

Praecepti ut sumeret decoct. cort. Geof. Jamaic. ℥ss bis Indies.

21. Omnia eadem.

22. Somnus placidior; signa cuncta leviora.

Duae



Duae dejectiones, cum altera quarum, unus lumbricus mortuus emissus est.

23. Placide ac sine saltu dormivit. Duae dejectiones solummodo, quae utraeque albae et mucosae erant, et quibuscum quatuordecim mortui lumbrici ejiciebantur.

Aug. decoct. ad ʒvi bis indies.

25. Omnia meliora. Appetitus modicus. Decoctum leniter alvum solvit. Sedecim mortui lumbrici expulsi.

Cont. decoctum.

27. Uncia decocti, hodie mane sumpta, catharsin acrem ciebat, decemque lumbricos mortuos expellebat.

Cont. decoctum.

28. Novem mortui lumbrici dejecti.

Aug. 3. Assidue bibit decoctum, ejecitque novemdecim lumbricos mortuos, duosque vivos.

4. Tres mortui lumbrici hodie expulsi. Aeger nil queritur.

6. Duo tantummodo lumbrici exierunt.

14. Aegrotus decoctum ad hunc usque diem, sine plurium vermium dejectione, sedulo bibit.

Color



Color vegetus in vultum, et vigor in membra rediit. Omnibus malis liberatus, decoctum omisit, et quam optime convaluit.

Jul. 21. 1783. T. C. aetatis 6 an. magna nausea et alvo astricta laborat. Reliqua eadem sunt ac in priore historia. Hoc ipso mane, exiguum vivum lumbricum deiecit.

Praecepti ut fumeret vesp. pulv. ipec. gr. x. pro emetico.

Et habeat omni mane decoct. corticis Geoff. ℥i.

Et sacchari q. s. ad gratum saporem conciliandum.

23. Signa admodum levantur. Alvus modice soluta. Quatuor mortui lumbrici dejecti.

24. Aegra optime dormivit, ejecitque sex lumbricos magnos, ad unum omnes mortuos.

25. Decoctum alvum non amplius movet.

Aug. ad ℥ii. cras mane.

27. Nausea gravissima, sed citra vomitum, post decoctum accedebat. Catharsis erat sat acris, et una cum faecibus, quatuordecim mortui lumbrici exierunt, praeter unum vivum qui sponte erepsit.

Rep. decoct. ad ℥i omni mane.



28. Cuncta signa leviora. Duae dejectiones quae sex lumbricos eduxerunt.

30. Duo tantum lumbrici.

Aug. 6. Nullis vermibus exiuntibus amplius, aegraque omnino bene se habente, medicamentum omiffum.

Jul. 20. 1783. W. U. tres annos natus, die hujus mensis quartodecimo, sensu frigoris ac horrore, quem calor et sudor excipiebant, corripiebatur. Die postero, rubra eruptio per totum corpus semet ostendebat, qui postea cito evanuit. Hodie cynanche et deglutitio difficilis adfunt. Caput dolet, nec non abdomen, quod quoque admodum est tumefactum. Oculi graviores et pupillae latiores solito videntur. Labium superius colore albissimum, valde tumet. Lingua foedissima. Cibi desiderium imminuitur. Alvus adstricta; urinae fluxus difficilis atque parvus. Paroxysmus febrilis quoque vespere urget.

Praeter gargarisma commune huic praecepti decocti jam memorati ꝑ̄ss omni mane.

22. Somnus tranquillior solito; guttur melius sese habet; aeger nil per triduum dejecit.

Rep. decoctum statim ad ꝑ̄i. et contin. om. mane.



23. Aliquantum nauseae, secundum decocti dosin, heri sequebatur. Duae dejectiones, quarum cum utraque lumbricus mortuus descende-  
bat.

24. Aeger multo melius, quod ad omnia, valet, hocque mane quatuor lumbricos mortuos demisit.

25. Nec frendit noctu, nec ullum doloris signum, ex quo decoctum sumpsit, omnino edidit. Sex lumbrici mortui hodie mane exierunt.

27. Tres lumbrici plures.

Aug. 2. Nulli vermes amplius, nec ulla signa molesta.

Septem insuper aegris idem decoctum praecepi, et semper fauste, nec unquam istos effectus horribilos, a quibusdam memoratos, ex ejus usu fui expertus. Nimia quidem quantitate, vomitionem et catharsin ciet; sed modice adhibitum, alvum tantum, idque lenissime, movet. In prima historiarum supra memoratarum, diarrhoeam ante usum decocti urgentem, minuisse videbatur, et ubique, signis molestis sat cito sublatis, vermibus fuit exitio; cuncti enim, praeter quatuor vel quinque, ejus opere, mortui eiciebantur.



Volui etiam pulverem experiri; quapropter ejus  $\text{ʒss}$  semel praecepi; sed aeger, qui undecimum agebat annum, tanta nausea et catharsi afficiebatur, ut medicinam repetere non aude-rem.

Haecenus periculorum, contra lumbricos fo-  
los, historias tradidi; semel tamen mihi contigit,  
eodem decocto contra ascarides uti.

Aug. 5. 1783. A. S. anno aetatis 36, nupta,  
per quinquennium proximum ascaridibus, qua-  
rum aliquot una cum faecibus fere quotidie ex-  
ierunt, fuit vexata. Hoc tempore, magnum  
recti ardorem, anique pruritum intolerandum,  
vesperem versus plerumque molestiorem, con-  
queritur. Nasi prurigo maxima, cujus mulier  
adeo est impatiens, ut eum, ad sanguinis effusi-  
onem usque, saepius carpat. Lingua foedata;  
menses regulares; alvus adstricta; pulsus len-  
tior. Bolus sequentem ei statim praecepi.

℞ Pulv. rad. jalap. ʒi.

Calomel. gr. vi.

Conserv. ros. q. s. fiat bolus, cras mane su-  
mendus.



7. Bolus alvum quater movebat, unde plurimae ascarides dejectae; sed signa aequae ac antehac acerba proximo vespere accesserunt.

℞ Decoct. cort. Geoff. ℥viii. pro enemate vespere.

8. Enema per trihorium retinebatur, idque dejectum, nullae ascarides vivae, quantum aegra perspicere posset, comitabantur; et incerta est utrum mortuae aderant, necne.

Rep. enema vespere ut heri.

9. Aegra nullos vermes post enema observabat. Nil jam queritur.

Hanc mulierem, ante kalendas Septembris, non iterum vidi, quo tempore mihi dixit, se esse omnino sanam, utpote quae, nec ascarides conspexerat, nec earum levissimum signum fenserat, ex quo primum enema acceperat.

Ex supra dictis igitur colligere fas erit, hunc corticem esse non modo tutum (si modo rite adhibeatur, aliter enim nil tutum), sed imprimis efficacem. Dr Wright, qui eum, et arborem unde desumitur, eleganter descripsit, monet, aquam frigidam inter ejus operationem haustam, eiere nauseam, vomitum, febrem, atque delirium



esse solitam. Quae, si evenerint, aut si nimium corticis fuerit sumptum, ventriculum aqua calida purgare, alvum oleo ricini movere, et copiam succi Lindiani bibendam dare, praecipit\*.

Haec de remediis, quae alterutra classis supra memorata suppeditet, sufficient, quibus pauca de nonnullis aliis subjiciam.

Mos fuit interdum, vermes externis cataplasmatibus, ex rebus, nempe, quae intus sumptae, iis maxime inimice creduntur, formatis, oppugnare. Natura vasorum absorbentium, ut et partium cataplasmata inter ac vermes interjacentium, considerata, me parum commodi inde sperare confiteor. Quomodo tamen res sese habeat, dicere nequeo; mos enim apud plebem indoctam praesertim invaluit, nec quenquam nuperum, medica scientia imbutum, qui rem periculo dignam existimaverit, invenire potui.

*Ad emetica quoque ac enemata* medici, terrorum hospitem expellendorum cupidi, aliquando confugerunt. Ob nauseam quae vermes ferre comitatur, priora debent plerumque praecedere cuncta alia remedia; hoc tamen non modo  
utile,

\* Vide philosophi transact. vol. 67. part. 2. p. 507.



utile, sed necessarium est, ubi vermes ipsum ventriculum tenent, quod nonnunquam fit.

*Enemata* nunquam profunt nisi in ascaridibus, quae, uti antea dictum, rectum incolunt; et iis, nil aliud aequè pestiferum. Hujusmodi unum exemplum jam protuli\*; praeter tamen istud enema, plurima alia fuere laudata, et prospere usurpata. Gummi et plantae foetidae, uti assafoetida, allium, camphora, ruta, sabina, valeriana †, insuper, aqua marina, et aquae a *Harrowgate* et *Moffat* suppeditatae, et denique fumus vel decoctum nicotianae ‡, saepissime fuere in usu.

Dissertatio inauguralis, anno praeterito, hic loci in vulgus edita, exemplum exhibet, quo taenia, post multa incassum tentata, per ictum electricum expellebatur ||. Huic nil simile alibi inveni.

De altero medendi consilio, quod erat tollere nonnullos effectus, post vermes expulsos manentes, brevissimus erit sermo; fines enim solitos hujusmodi dissertationum longe excederem, si tractare vellem.

Pleraque

\* Vide p. 48.

† Vide Gregor. conspect. vol. 2. p. 619.

‡ Vide Lond. med. obs. v. 2. art. 26. p. 307.

|| Wilkinson de electricitate, p. 59.



Pleraque mala quidem, vermibus expulſis, deſinunt; ſed debilitas cum ventriculi ac inteſtinorum, tum totius corporis, ſummam attentionem deſiderant. Tonica omnigena, ex gr. cortex Peruvianus, gentiana, ferri variae prae-parationes, et aliquando balneum frigidum, hic convenient. Aër ficcus atque purus multum proderit. Alvus adſtrieta, vermium frequens ſequela, eſt ſedulo, cibo potuque aptis, et ſubinde lenioribus purgantibus, ſolvenda.

Cibus debet eſſe quam maxime nutriens, e re vegetabili et animali compoſitus; et aliquantum carnis, etiam inter primos annos, iis qui vermibus videntur opportuni, eſt concedendum. Vegetabilia incocta, et fruictus immaturi, ſunt ſemper evitandi, nec non caro ſalita, et omnia denique, quae ventriculum debilitare vel concoctionem turbare poſſunt. Nullus potus praefat cereviſiae bene lupulatae, et *porter*, licet tamen praeterea uti optimo vinorum.

Quo magis corpus roboratur, eo magis contra novum impetum hujus diri hoſpitis munitur; nil igitur, unde robur augeatur, omittendum. Mundities quam maxime colatur. Exercitatio, varia pro natura corporis, et conſuetudine pri-



ore quotidiana, citra fatigationem, subsistat. Qualiscunque exercitatio placeat, ea utilissima erit circiter meridiem; sic enim, frigoribus matutinis et vespertinis vitatis, ventriculus et totum corpus optime roborabuntur.

Finem jam facturus vota quam maxime benevola erga Academiam Edinensem proferre, mens gratissima cogit. Grates tamen praecipuas illustrissimo Cullen, ob curam atque peritiam, quibus mihi, febre olim correpto, attulit opem, nec non insignissimo viro Professori Gregory, ob candorem quo hanc dissertationem perlegit ac emendavit, debeo et hoc publico modo lubentissime exsolvo.

F I N I S.

E R R A T A.

Pag. 21. l. 2. *pro* insignens *lege* insignes.

45. l. 17. *pro* crasis *lege* cras.



the posthumous, extra assignment, ...  
Qualitative exercises placed, as ...  
the circuit meridians; the enim, ...  
Latinis et respicientis status, ...  
corpus omnino laborantem.

F I N I S

F R A T E R

Fig. 1. 1. 1. the ...  
of 1. 1. 1. 1. 1. 1.